





17  
1984 36

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

16.

# THEORIA CONGESTIONVM QVATENVS PRAXI INSERVIT

QVAM  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN

REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. IO. FRID. GOTTLIEB. GOLDHAGEN

MED. PHILOS. ET HIST. NATVR. PROFESS. PVBL. ORD.

CIRCVL. SALICI COMIT. MANSFELD. ET CIVIT. HALENS.

PHYSICO

PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLEMNITER CONSEQUENDO

AD DIEM XI. SEPTEMBR. CI<sup>O</sup>I<sup>O</sup>CCLXXXIV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERET AVCTOR  
CAROLVS AVGUSTVS IVNKER  
HALENSIS.

HALAE SALICAE,

LITTERIS TRAMPIANIS.





## INSTITVTI RATIO.

---

---

I. Paucia de theoreticae & practicae Medicinae partis mutua affinitate,  
Exemplum Congestionis. Quid Theoria Congestionis? (§. I.)

II. Si Theoria Congestionis per se spectata affinitatem habet cum eius  
felici medela, id valebit de multis aegritudinibus, cum praesto sit in  
his saepissime Congestio. (§. II.)

III. Theoria Congestionis praxi inseruit ex vario respectu. Tris vero mo-  
menta praecipue hic spectanda veniunt, quorum respectu haec valet  
praecipue affinitas.

1. Pro diversa tua congestionis Theoria medicamina deriuantia vel appli-  
cabis tantummodo in loco remoto, quam affecto, vel in propiore,  
vel distinguendum esse putabis, prout morbi differunt.

2. Prout sana est tua de Congestionis Theoria vel cognitum habebis  
multum interesse naturae, an hoc vel illo loco excernatur materia

A

mor-

morboſa abnndans congeſtione alens, nec ne? Iudicium tuum de moliminibus naturae hinc diuersum erit, hinc diuersa medela.

3. Ut perfectissima erit Theoria de Congeſtionebus, ita vel maxime ſpectabiliſ ad cauſas congeſtioneſ therapeuticas. Iam in multiſ aegritudinibus Congeſtioneſ preaſto ſunt. Quem ergo Congeſtioneſ perfecta ſanatio non fugit eum nec fugit medela multorum morborum eaque ſimpliciſſima & mox diuideanda. (§. III.)

IV. Ex omnibus congeſtionebus, iſtae ad caput frequentiſſimae, inueſtigatione digniſſimae. Has itaque ſingulatim pertractabimus: in primis queam ob cauſam, quod ex falſa congeſtione ad caput Theoria, hinc mala medela, noſtriſ temporib⁹ malum hypochondriacum & hysteri- cum in iuniorib⁹ ſubiectis obſeruaſſe mihi videor (§. IV.)

V. Quaeftiones quae hinc oriuntur, ſunt quatuor:

1. Vbi applicantur optime Deriuantia?
2. Vbi excernitur, ſi indicatio id postulat, praefente Congeſtione?
3. Quae cauſae Congeſtioneſ ſanandae?
4. Quid ſtatuendum de Congeſtionebus ad Caput in ſpecie? (§. V.)

VI. Ad iſtituendam hanc inueſtigationem viam parant notio Congeſtioneſ, eius cauſae & effectus. Hinc ſequitur notio Congeſtioneſ. (§. VI.)

VII. Cauſae Congeſtioneſ in genere. (§. VII.)

VIII. Effectus in genere. (§. VIII.)

IX. Rationes diuerſitatis effectuum, quarum cognitio praxi inſeruit, ſpectan- dae veniunt.

I. Tem-

- I. Temporis spatium quo oritur congestio. Lex inde oritur generalis humano Corpori in statu morboſo praefcripta, ut, quae ſubito oriuntur aegritudinum Caufiae, mirifice Corpus afficiant; quae vero lente, his cedant quaſi naturae vires, iisque affueſtant benigna ratione. Exemplum apoplexiae & hydropis cerebri. (§. IX.)
2. Gradus Congestionis.
3. Diuerſitas fluidorum congestorum.
4. Locus Congestionis. (§. X.)

X. Nunc facilis ad quaefiones reponſio. Eo ipſo iam apparet quatenus inſeruit Congestionis Theoria inſtituenda eius medelae.

XI. Reponſio ad quaefionem primam. Dijudicatio huius illiusue arguſenti. Obtinetur tandem id: Distinguendum eſt, (§. XI.)

XII. Reponſio ad quaefionem ſecundam, (§. XII.)

XIII. Reponſio ad quaefionem tertiam; cauſae praecipue ſanandae euoluuntur, (§. XIII.)

XIV. Reponſio ad quaefionem quartam. Concluſio, (§. XIV. XV.)



DE  
THEORIA CONGESTIONVM,  
QVATENVS  
PRAXI INSERVIT.

§. I.

„Quid quæsō ad nos theoria? Quid statuendum sit de modo &  
ratione, qua morbiscae causæ forsitan agant, id viderint alii, quibus  
otium. Sequimur nos, quo grauiora trahunt negotia. Audiamus ita-  
que obseruationes de viribus medicamentorum; hæc sint in promptu,  
& Diagnosis morbi pateat, caetera vero, quae vlo modo Theoriam  
redolent, negligenda. Est enim recta haec via, qua obseruationibus  
ducimur & experientia; est egregia via, quam ingressi sunt celeberrimo-  
rum veterum plurimi, quam ingrediuntur hodierni, quorum celebrantue  
nomina; quam ingredientur futuri, quibus mens erit sana & egregium  
illud odium Theoriae, Hypothesium, atque naturæ sua Arcana nun-  
quam reuelaturaæ penitus eruendæ inanis omnino desiderii., — Haec  
& similia, quis non audiuerit ex ore practicorum? Ut vere dicam quid  
sentiam de his & aliis: Sunt vera mixta falsis. Absit a me, recoquere  
quæ de Theoriae & Præxeos utilitate & de huic illiusue valore rite diu-  
dicando

dicendo dicta sunt sexcenties. Prudens quidam medicus id respondebit, quod, ubiunque modo lis est inter viros non immeritos, semper valere mihi obseruasse videor; Distinguendum est. Evidem vix dubitarem cum illustriss. ALAMBERTO \*), si villo, theoretico potius, quam Practico in resta morborum curatione primas concedere, qui quidem vir in libro infra laudato varia exempla collegit, quae suadere id videntur, immo & alia argumenta, quae confirment, addidit haud leuiora. Quid vero, quod faciunt quod tritum est & obsoletum inter practicum & theoreticum medicum disserim, id ego omne potius omnino relegandum esse statuerem. Sunt species, quas constituant, & nullum adest genus. Theoreticus medicus, quem ergo vires medicamentorum fugiunt, & obseruationes de institutis morborum curationibus, non est medicus, ergo nec Theoreticus medicus. Audiatur Philosophus, imponatur aliud quaecunque nomen, modo non medici. Simile quid statuendum de Practico, quem vera fugit morborum Theoria. Gloriantur vero, nec sine iure, de seposita hac lita nostris temporibus & de feliciter coniuncto studio disciplinarum medicinae quas theoreticas vorant & practicas. Promanat autem ex ipso hoc connubio haec illata difficultas & noxa. Diuersam de huius illiusue morbi Theoriā, quae nunc medicis placet, diuersa medendi methodus sequitur, mutatur theoria, hinc & medela, certe medelae pars. Sentiat ita que quisque, quaecunque placent de Theoriae & Praxeos mutua affinitate: Id tamen certe largietur: morbi Theoriā vberiori investigatione dignissimam tunc fore, cum prout diuersa est theoria, diuersa inde promanat medela. Valet hoc saepius exemplo rachitidis acrimoniae diuersae cuius praedicta loca etiam per se inveniuntur.

sentia

\*) Melanches de Literature. Tom. V. pag. 69-70.

sentia medicis in hoc illoque morbo arridet, cui, quae respondent & conuenient medicamina, nunc adhibentur. Sed fere innumera sunt exempla. Non vero sine utilitate Congestionum exemplo haec confirmari posse mihi videntur, ideoque de his quaedam differere consilium coepi, ut quatenus congestionum theoria inseruat praxi, paucis illustrem. — Pertinent vero ad theoriam huius morbi, quaecunque de nexo mutationum, quae praesente congestione in corpore humano contingunt, erui possunt, ideoque de nexo praecipue causalib[us], de qualitate liquoris congesti similibus. Quorum itaque cognitio si ad Praxin vere respicit, sequitur inde Theoriam Congestionum magnam habere cum instituenda eius medela affinitatem, veramque huius methodum praecipere. Id autem vere ita se habere ex iis quae dicam, simul consideratis fore spero, ut non obscuratione pateat.

### §. II.

Videmus Congestiones praeter naturam in innumeris fere aegritudinibus. Est Congestio saepe Caufa Aegritudinis, est subinde effectus potissimum spectandus isque haud leuioris momenti. Grauissima mala inde natales petunt, eaque diuersissima. Poscit enim Oeconomiae humanae lex, ut, qui mouentur suis viis humores, non solum hisce fidem habeant, nec igitur forte loca relinquant naturalia in aliena aberraturi, neque modo iustum cohaesionis gradum, iustam copiam, naturalem blandam indolem, motum nec celeriorem, nec tardiorem, quam vires concedunt, conservent; sed ut legitima etiam ratione per totum Corpus aequaliter dispersi sint, sanitatis leges vix hac illane exceptione naturali concessa, postulant absolute. Secernitur quibusdam temporibus maior humoris copia in nonnullis

7

nullis visceribus, idque secundum naturam. Hinc ut ita dicam Congestio  
naturalis, ab ipsa natura ope structae saepe mirificae comparata. Hinc ma-  
ior salinae affluxus, hinc bilis maior secretio, idque secundum naturam eo  
tempore quo eget. Taceo de reliquis exemplis, quae patet ex Physiologicis.  
Aut vero praeter naturam oborta Congestione, quot & quanta mala? Con-  
gestiones ad Caput, ad capitis partes, ad pectus, huius partes, ad viscera ab-  
dominalia, ad artus, & sic porro; promanant diuersissima mala, aegritudi-  
nes innumeræ. Quae igitur, si ita se habent, quis dubitaret, si Theoria  
Congestionum per se spectata Praxi inseruiret, hanc Theoriam in sanandis per-  
multis iisque diuersissimis malis, suam admittere in medendo applicationem,  
cum tot morborum sit causa, sit effectus saepe solus metuendus.

§. III.

Confert forte suum quid Congestionis Theoria ad obtinendam eius  
medelam ex vario respectu, exacta vero hac de re instituta meditatio-  
tria potissimum momenta docet, quorum certe respectu congestionis theo-  
ria, qui Medicinam facere cupiunt, eorum interesse maxime opportebit.  
Et sunt, quae dicam. *Primum* nempe e principiis Therapiae generalis  
satis superque constat, praesente Congestione medicaminibus aut in genere  
remediis, auxiliisque deriuantibus locum saepe concedi. Deriuando non  
raro Congestionis medelam obtinemus. Venaesectionem instituimus, hi-  
rundines, cucurbitas, Vesicatoria, Rubefacientia, ferrum applicamus, &  
sic porro. Obtinetur deriuatio, imminuitur congestio. Iam vero orta  
est Controversia inter Practicos. Conducit egregie, inquiunt multi, in  
loco a Congestionis loco remoto, remedia deriuantia admouere, id pro-  
bant partim exemplis & observationibus, partim vero præcipue ipsa,

quam

quam admittunt, Congestionis Theoria. Ita verbi gratia, irritationem inquietunt, saepe sequitur congestio; ut igitur maxime remoto loco Derivantia admoventur, ita maxime ad hunc locum erit futura Congestio. Remediis enim derivantibus quam saepissime vis inest irritans, hinc minor ad locum iam affectum Congestio futura, sed ad remotum, vbi auxilia sunt admota; hinc obtinuisti tuum propositum. Repugnant alii freti sua de Congestionibus Theoria. Hinc itaque vera huius affectionis Theoria, item componit, adeoque docendo: *qui locus sit commodus medicamentis Derivantibus*, medelae partem dirigit. Deinde vero de loco disputatur, quo quidem in maximum aegrotantis emolumentum, si postulat subinde indicatio, *excernatur superfluus humor*. Certe optandum esset, vt quibus hoc momentum non est Curiae cordique, iis vere sit. Non enim leue, vt videtur momentum. Ipsa natura a superfluo humore sese liberatura, Congestionem saepe molitur in hac illae parte, hinc varia incommoda vocatur in auxilium medicus, isque ad locum, quo excernatur materies morbosa, non respiciens, sufficere putat, si modo excernatur. Id quod male. Excernatur iusto loco, audiat Medicus itaque naturae molinina excretoria (haemorrhagica aliare). Ut vero ita sapienter agere queat Medicus, quo quaeso opus est? Vera Congestionis Theoria. Qua, si imbutus est, nec fugiet illuan, locum quo arte forsan obtainenda est materiei evacuatio, optimum esse eligendum, & modo hac ratione vere utilissimam fore evacuationem. Quod vero denique maximum est, vt perfectissima erit de Congestionibus Theoria, ita maxime ad id respicies, *quot & quae sint huius morbi caussae sanandae*. Id mere docet sana Theoria, quae non solum varium caussatum nexum cuoluit, sed ex his, quae sanandae sint, vere indicat. Hoc vero,

vero si impetraveris, multum impetrasse scito, statim enim in multis  
aegritudinibus medelam in promptu habebis, id quod ex §. II. luculen-  
ter satis appetet.

#### §. IV.

Patent prae caeteris quedam corporis humani partes morbosae huic  
affectioni. Huc caput, pulmones, hepar, lien, intestinum rectum, vte-  
rū & artuum partes moliores merito referuntur. Et si quaeritur, qui-  
bus ex caussis haec partes Congestionibus frequentissime vexentur, respicien-  
dam esse puto ad partis debilitatem naturalem, ad pluritatem vasorum san-  
guiferorum & denique ad nexus cum alia parte ita comparata, ut caussae  
Congestionum remotae frequenter locum sibi vindicent. Duo priora mo-  
menta per se patent: quod ultimum attinet, Caput exemplo sit, in cuius  
quidem vicinitate pulmones sunt; quorum impedita actio caussam saepe  
sistit Congestionis ad Caput, cum impediatur nempe legitimus humorum  
refluxus. Ast vero si vila, certe haec ad Caput humorum Congestio no-  
tatu dignissima. Taceo de nobilitate huius partis, & effectibus itaque  
Congestionum in hac parte longe grauiissimis. Taceo de maiori frequentia  
huius Congestionis prae caeteris, liceat vero haec duo momenta addere.  
In variis aegritudinibus ista incommoda, quae communi nomine *Congestio-*  
*num ad Caput* insigniri solent, aegritudinis futurae & variae primum qua-  
si stadium percipiunt. Sunt, si manus, prodromi. In perfecta eartum co-  
gnitione & practica diiudicatione omne continetur artificium, quo morbum fu-  
turum feliciter auctorere queas. Quem vero ita auertis morbum, is saepe, plane  
obortus, omnem respuisset medelam. Alterum vero momentum hoc est.  
Obseruamus nostris temporibus malum hypochondriacum & hystericum

iuniora subiecta invadere, id quod olim non ita frequenter obseruatum fuisse a medicis, nemo negabit, cui veterum scripta cognita sunt. Sunt certe multa in culpa. Frequentioris huius mali caussam continet vixus, totum vitae regimen, quod recedit a natura. Animi pathemata excitantur in iuventute nunc frequentius. Mitto vero, quae certe multae sunt, caussas, & progredior ad illud quod ad nostrum argumentum respicit. Congestiones ad Caput incongrua ratione sanantur; falsa aut imperfecta de his Congestionibus Theoria ansam praebet. Hinc, quae a debilitate dependent, molestiae, a vera humorum abundantia proficiunt videntur. Excernitur itaque superflius ut putant humor, hinc frequentius saepe nostris temporibus malum hypochondriacum & hystericum. Adiiciam itaque pauca de Congestionibus ad Caput recte dijudicandis.

### §. V.

Iam igitur vides affinitatem Theoriae Congestionum, quam quidem alet cum instituenda eius-medela, si forte fusi, utilius tamen non posse inuestigari, quam si ad has quatuor quaestiones ex ipsa Theoria Congestionis responsones eruere studeamus. Sunt nempe, quas dicam:

1. Quis maxime oportunus locus remediis deriuantibus praesente Congestione?
2. Quis locus, remediis, quae excernunt?
3. Quae caussae sunt Congestionum sanandae?
4. Quid statuendum in specie est de Congestionibus ad Caput, quippe quarum cognitio utilissima est?

### §. VI.

### §. VI.

Respondere varia posses ad quaestiones, quas proposui. Oriuntur autem facile dubia. Multis exemplis facile seducimur, vt remediis deriuantibus locum concedamus, minime loco Congestionis propinquum, sed valde alienum, hinc facile absolute enuntiamus: ita statuendum esse in generē in omni congestionē. Praemissa vero de Congestionibus Theoria non ita in generē regulam constitui posse videbis, ne multa, facilis eaque vera obtinetur responsio. Ut itaque ad finem propositum adspirare liceat, praemittenda pauca sunt de notione, causis, & effectibus Congestionum. Fac abundare humores in generē, totum itaque corpus maiorem contineare humorum molem quam ferre naturae vires valent. Habebis in hoc casu sine dubio & abundantiam humorum in singulis partibus. Hac itaque definire non poteris Congestionem, sed tunc modo hanc adesse statuendum erit, cum praeter naturam in singula parte nimia aderit humoris copia, in aliis vero partibus minor. Comparanda itaque pars cum aliis, cuius functiones, si maiori humorum copia, quam alias praeter naturam turbari obseruaueris, non dubitabis de praesente Congestionē.

### §. VII.

Vt vero Causas, quae Congestionem efficiunt, rite intelligamus, ad duas classes respiciendum esse puto, primum nempe ad auctum affluxum, deinde vero ad impeditum refluxum. Conueniant haec, refluxus nempe & affluxus, & nunquam enascitur Congestio. Fiat maior affluxus, refluxu itidem aucto, & eodem gradu; tollitur omnino Congestionis idea. Ast vero, cum haec non omnino conueniant, statim praesto est vera Conge-

stio.

stio. Neque miraberis hanc inter affluxum & refluxum conuenientiam a natura non semper posse obtinere in statu morboſo. Tenerendum modo hos est; tantam affluere posse humorum copiam, ut comprimantur inde venae, aut ita in genere afficiantur, ut reducere omnia nequeant. Deinde vero & hoc notandum est, vexari morbiſicis cauſis ſæpe vasa, quæ humores adducunt, his inesse vim irritabilem, motum itaque in his accelerari, huic vero non ita obnoxias esse venas, ideoque in his motum non accelerari & refluxum itaque fore minorem. Iam paucis videamus, quæ affluxum adaugeant, & quæ impediunt refluxum. Referas itaque ad cauſas remotiores

I. Irritationem partis sensibilis, irritabilis. Est enim lex in Oeconomia corporis humani, fatis superque constans, ut irritationem excipiat Congestio. Saluberrimum sine dubio nostro Corpori institutum naturae. Remouere studet natura quæ irritant aliena, neque raro ſaue obtinet. Sequitur vero Congestio ob motum acceleratum & propter spasmus a cauſa irritante enatos. Tenerendum est spasmus mox accelerare mox retardare ſanguinis motum. Hac de re non raro controverſiam ortam esse audiui; liceat panca adicere, quæ ſentiam. Reficiendum est in explicanda hac diuersa spasmorum actione ad eorum gradum. Fac spasmus vas vrgere minori gradu; erit viuidior vasis in contenta actio, promoventur itaque haec velocius. Fac vero maiorem gradum eis; hinc maior contentorum reſiſtentia, hinc motus retardatus, vel ipsa stagnatio. Proinde eſt, an sit gradus spasmī vel absolute vel relative maior, aut minor. Exemplum, quod in mentem venit, hoc illa-

illustrare posse videtur, quod quidem simul cum Theoria inflammationis egregie conspirat. Habes in loco inflammato sanguinis Congestionem & statim, in vicinitate vero velocius monentur humores, Spasmis ex parte utrumque effectum tribuerem. Quidam? In vasis minitatis in arteriis volo rubris, earum nempe extremitatibus spasmus quidam definitus relative maior est, lumen enim vasis minus est, hinc retardatus sanguinis motus, hinc ipsa statim effectus. In ampliori vero arteriarum cauo idem definitus spasmus relative minor, lumen enim arteriarum maius est, hinc viuidior motus.

2. Partis debilitatem. Minus resistit humoribus, runnt quasi hi cum impetu ad partem debiliorum; eius functiones perturbant. Hinc multa explicanda, quae Congestiones spectant; hinc etiam illa, quam omnes fere relinquunt morbi, ad redditum dispositio.
3. Morbos & passiones vasorum sanguiferorum, quibus vel impeditur refluxus, vel maior inde obtinetur affluxus. Fauent itaque Congestionibus: Circulatio humorum nimis languens; eo magis enim languebit in venis. Ipsa humorum abundantia propter resistentiam maiorem & vim, quam venis infert. Resorptio impedita ex humorum spissitudine, rigiditate, spasko, compressione, similiue vitio. Humores praeter naturam oborti; excretiones impeditae; ubi hinc & illinc retenti errant humores, & saepe acri, quae ipsis ineft in dolore partes sentientes sollicitant. Obstacula alia quaecunque liberae circulationis; quorsum praecipue respirationis multifaria vita referenda veniunt,

### §. VIII.

## §. VIII.

Patiuntur subinde nervi satis validam compressionem, & nihilo minus exercentur tamen non omnino difficulter functiones animales. Saepe vero congestione eaque exigua afficiuntur, & penitus prostratae sunt vires. Cephalalgia, affectus soporosi, apoplectici, vertigo, deliria, pernigilium, satuitas, inflammationes & caetera sequuntur. Producit dolores & spasmos, cum fibras musculares inuidit. Vasis vero multa mala inducit, vt organici morbi inde natales petant. Extenduntur nempe fortius elabique sint contenta, aut irritantur, tremunt, inflammantur, immo solvantur. Promanant hinc haemorrhagiae, ulceræ, rupturæ, & ceteræ innumera omnino mala. Quies enim praeter naturam oboritur nonnunquam in nimis congesto humore, ipsa nempe stasis; & fontem itaque nouum malorum manifesto vides.

## §. IX.

Est vero tanta horum effectuum diuersitas. Vnde nam haec? Quod valde diuersa est Congestionis natura, cuius quidem diuersitas non ex iis solum repetenda est, quae praemisi, sed & ex iis, quae sequuntur. Pertinent haec ad illam partem Theorie de Congestione, quae praecipue Praxi inseruit. Dicam itaque varias Congestionis differentias, quae supersunt. (Vnde simul etiam effectuum, quos laudauit, diuersitatis rationes eluceantur) Et ad has praecipue respiciendum esse videtur, vt bona sit Theorie ad Praxin applicatio, in primisque ad illas, quas ultimo loco posui.

1. Est diuersus Congestionis gradus. Hinc diuersitas effectuum subinde ex parte explicanda.

2. Gra-

2. Gravitas vero effectuum non semper gradum Congestionis ut solam rationem agnoscit, sed etiam partis affectae dignitas, quam sibi vindicat in Oeconomia humana consideranda venit.
3. Ne haec quidem sufficit ad dijudicandam Congestionis naturam. Confert saepe ortus Congestionis vel subitaneus, vel latus. Conferas quoae sectiones cadaverum, quorum Capita aqua aliisque fluido repleta fuere, cum iis, quae parvam in cerebri partibus manifestarunt extravasationem. In illis saepe nec apoplexia, nec vertigo, nec affectus soporosi, nec vlla grauiora mentis aut cerebri vitia in vita obseruata sunt, in his quandoque effectus grauissimi, omnes vires prostratae, sensus interni atque externi laesi. Haec aliae exempla *Morganiani* satis multa habet in libro egregio, qui inter omnes constat. Fretus itaque multis obseruationibus, illam Corpori humano legem in statu morboſo praescriptam ego deducarem, vt, quae subito in illud agunt morborum cauſae multo magis & periculosius id afficiant, quam quae sensim ipsis applicantur, quibus cedunt quasi naturae vires, & assuefiunt benigna ratione.
4. Effectus Congestionis itaque vel mox graues, vel lente sequuntur. Hinc nonnunquam respiciendum quidem est ad futuram Congestionem in eligendis remedis, mox vero non, sed modo ad tollendam quae nunc praesto est, Congestionem grauem.
5. Subinde Congestionem Stasis excipit, subinde non. Vbi stasis imminet, aut praesto est, debilitas partis vel in culpa est, vel non.
6. Est Congestio vel actina, vel passiva. Agunt vires in illo casu, ruunt cum impetu ad partem humores, a sollicitata natura excitatur

Con-

gestio, in hac potius languent vires, aut certe non Congestionem omnem determinant, sed ob vitium, & pressionem partis accumulatur humores.

7. Maxima est differentia inter humores ipsos congestos. Urina, sanguis, pus, mucus, lympha aliquae humores congerantur. Effectus varii.

8. Excernendum subinde quid est, in motus violentos ducitur natura, excitat molimina, hinc Congestiones, & hae quidem omni attentione dignissimae. Primum nempe querendum, an salutaris forte sit Congestio? Exempla multa. Poscit ipsa metuenda gangraena nonnunquam phlogistica, alias vero antiphlogistica medelam. His Congestionibus non erit medendum. Deinde vero in moliminibus naturae ad ipsum locum, quem natura eligit, respiciendum est. Si ob vitium easu contractum, & non sanabile forte contingat, ut ad partes nobiles naturae motus suos vergat, tunc quidem in casu necessitatis resistendum erit naturae conaminibus, sed impetrabis finem aegre.

Quae deiectionibus alui, quae vomitu, quae fluxu menstruali, haemorrhoidibus, quae ulceribus, tumore glandularum &c, eliminare cupit natura, ea non ita feliciter arte eliminabis alio loco, quem non ipsa suadet natura. Excernis enim ita saepius sanos humores, morbos relinquentur, qui quidecum haerent in loco, quem urget natura; ibi metastatice morbosum humorem deposituerat. Tu vero auertis motus naturae salutares. Dicci vix potest, quanti momenti sit laudata illa nostra regula, & quam late pateat in facienda medicina felicissima eius applicatio. Turgent exempli gratia fortes sursum, medicus alium locum eligit, & propinato medimento

mento laxante fordes per longum intestinorum canalem arte dicit, nec certe impune. In vicinitate enim erat euationis locus opportunus, nunc autem fordes in longo canali subducuntur, pars haec illaue in variis intestinorum regionibus forte remanet, sanguinemque ipsum nunc inficere valet. Fluxus menstruus urget, non vero succedit; iam nullo habitu conditionum, quae circumstant, respectu, venae sectio instituitur, cogitur ipsa natura, ut imposterum motus ad locum vergat, quem suavit medicus.

## §. X.

Iam facile obtinetur, quod volui: ipsa nempe Congestionis rita insti-  
tuenda medela non nisi ex eius Theoria patet manifesto. Ipsa haec Theoria  
hanc illamque suppeditabit medelae partem, & multas easque non negli-  
gendas in Praxi regulas. Omnem fere methodum medendi praescribit.  
Quid itaque facrem ad imminuendam Congestionem? Audiuiimus affluxum  
maiorem, refluxum impeditum, irritationem, debilitatem partis &c. conge-  
stionibus sauere. Promouendus itaque est regressus humorum, moderandus  
affluxus. Accelerabimus regressum remedis deriuantibus, & cum ab irri-  
tatione ut & a debilitate partis Congestionem promanare audierimus, obti-  
nebimus derivationem vel irritando, vel relaxando. Moderabis affluxum  
auertendo causas irritantes, imminuendo copiam humorum, frangendo im-  
petum, augendo resistantiam in parte affecta, sedando oscillationem vasorum.  
Nolo haec exactius eaoluere, quippe quae patent ex iis, quae praescribuntur  
in Therapia generali. Sed omnia haec ex Theoria Congestionis supra lau-  
data deduci posse quisque intelligit, id quod demonstrare in animo fuit.  
Alia vero multa ad quae in medendo spectare praestabit, ex illa Theoria elu-  
escunt. Attingam modo haec illaue, inuenies multo plura. Quae irritan-

C

do

do deriuant, ea impetum omnium humorum saepe efficiunt. Facile itaque Congestionem augeres admissis hisce deriuantibus. Hinc illa regula; Deriuantia huius generis adn.ittenda modo esse impetu humorum iam sedato. Hinc verbi gratia Vesicatoria scopo deriuante praesente inflammatione modo applicabis post Venaectionem & sic porro. Varia est Congestionis natura pro varia congesti humoris natura. Elices itaque deriuantia, quae id praeципue humorum genus efficiunt, a quo Congestio exoritur. Monendum esse puto, ipsa deriuantia, quae relaxando agunt eodem modo, quo irritantia, sub quibusdam, quae circumstant conditionibus, impetum humorum excitare posse. Hoc repugnat Congestionis Theorie, ideo quae evitanda essent.

Ita exempli gratia, ipsa, quae amant, pediluua, si nimis diu pedes immergantur, aut nimis calida sint, anxietatem, debilitatem totius Corporis, Organum producere valent. Hinc multo aliis quam cupiunt inde effectus obtinetur. Adstringentia frigida aliaque resistentiam partis affectae quidem adaugent, sed ad stasis forte inde orituram attendendum est. Respicendum etiam est ad differentiam Congestionis, qua vel acutam, vel passiuam illam esse supra enuntiavi. In hac adstringentia in illa praecipue relaxantia conducunt. Ne fiat stasis, curam habebis, ut relaxentur vasa vicina. Hinc egregius effectus a tepida tractatione partium, quae in vicinitate constituae sunt, frigida vero partis affectae, quae quidem vtraque simul erit instituenda. Et sic plures, quae magni momenti sunt, regulas inuenies, circa curationem congestionis, cum ad ea animadverteris, quae de natura Congestionis (q. 9). proposui.

§. XI.

## §. XI.

Bene perspecta Congestionis Theoria, recte & facile respondetur ad quaestiones supra laudates. Quis opportunus locus est remedii deriuantibus? Deriuant quodammodo & illa remedia, quae excernunt, sed de his fuisse §. seq. Alia deriuantia sine dubio in parte remotiori applicanda. In eo enim finis latet, vt humores ad aliam partem arte ducantur. Tenendum vero nihilominus hoc est, statim saepius adesse, nec raro passuum, irritantium itaque in loco nimis remoto applicatorum non tantam fore vim ad tollendam statim in parte affecta. Hinc itaque in loco magis vicino erunt admouenda. Quis applicaret vesicatorium in pedibus, vt ad exteriora duceret inflammationem intestinorum? Hic vero certe ad alia etiam spectandum erit, quae de Theoria Congestionis proposui, vt nempe deriuantia (irritantia aliaque) iusto loco admoueantur. Quaerendum itaque exempli gratia, an Congestio sit salutaris, nec ne? An statim? An actua vel passua? An forte simul impetum humorum nocivum excitare queant? & sic porro.

## §. XII.

Principue vero de loco disputarunt, remedii quae excernunt maxime opportuno. Dubitarunt de vicino multi, repugnarunt praesertim Iatromathematici. Augeri enim hinc Congestionem & evacuationem topicam in loco Congestionis damnandam esse arbitrii sunt. Provocant ad argumentum, quod dicam. Depleto quodam vase imminuit certissime resistentia quam humores in hoc vase ante evacuationem versus illos excitarunt, qui in vasis communicantibus mouebantur.

Imminuta hac resistentia augetur manifesto celeritas motus, sit itaque maior affluxus, ideoque in vase depleto non minor, sed maior erit Congestio. Qui vero ita ratiocinaantur, ii eorum immemores esse videntur, quae nunc adiiciam. Erit certe paulo maior quam antea quantitas humorum in vase depleta postea ruentium, ast vero multo maior est quantitas humorum *excretorum*. Augetur insuper frictio subaucta celeritate humorum affluentium, noua itaque iis opponitur resistentia: effluenti vero humori haec non obstat resistentia, ideoque effluxus tamen maior erit affluxu. Accedit hoc: Vasa depleta perpetuum edunt nisum sese contrahendi, partes enim vicinae antea forsitan oppressae eundem nisum nunc excent, cumque viuidorem post euacuationem hinc itaque resistentia manifesto augetur. Solo itaque illo arguento nunc probabunt remedia quae excernant in loco remoto esse applicanda. Iam vero perfecta Congestionis Theoria docet, nec illud semper valere, quod alii praecipiunt, semper nempe & quavis ratione in loco vicino euacuationem esse instituendam. Ut vnum attingam, remedii quae excernunt, inest subinde simul vis irritans. Hinc certe augetur Congestio. Ita verbi gratia laudarunt multi in inflammatione oculorum hirudinum applicationem, ali minus, immo noxiros effectus obseruarunt. Id quod facile ut verum cuique patebit. Irritant enim hirudines locum valde sensilem, fac itaque excernendo sese Congestionem imminuere, irritando tamen humores alliciunt. Probarunt id obseruationes. Patet itaque hinc, quod vnicare probare volui, errare nempe, qui locum vel vicinum, vel remotum semper remedii quae excernunt, opportunum esse absolute enuntiant. Distinguendum est, hoc volo, & quomodo distinguendum sit, patere non potest nisi ex Theoria Congestionis. Ut vero maxime ad multa

hic

respiciendum esse senties, ut maxime difficilis erit exacta ad laudatam  
 quaestionem responso, ita optime quae volui, demonstrasse mihi video,  
 hoc nempe: sola perfecta Theoria de Congestionibus nititur varia Conge-  
 stionis medela, ideoque & loci, quo excernatur in hoc illoue casu cogni-  
 tio. Mitto illa, quae ex Theoria Congestionis manifesto huc pertinent  
 & quorum Cognitione itaque nititur responso ad nostram quaestionem (§. 9.  
 exempli gratia, quae dixi de Congestione salutari, de moliminiis naturae  
 & sic porro). Attingo potuis haec duo momenta. Fac maiorem fore con-  
 gestionem ad locum, quo excernitur, quid refert? Nonnunquam modo  
 agitur de remouendo praesenti certo periculo: evacuatio igitur celerrima  
 obtainenda, hinc instituenda loco vicino, nec ad Congestionem forte futu-  
 ram anxie cogitandum est. Autumare licet & aliud momentum. Re-  
 solutionem in inflammatione duplice modo perfici medici statuunt;  
 Stasin leuiores ita nonnunquam resolvi putant, ut particulae stagnantes,  
 vi aliqua aliisque quae fauent conditionibus accidentibus, tandem vere pro-  
 moueantur: Nonnunquam autem in amplius arteriae canum retropellantur.  
 Ut brenis sim illud discussionem, hoc reuulsionem nominare licet. Quid  
 si statueres, reuulsioni fauere venaesectionem in loco remoto institutam,  
 discussioni venaesectionem in loco magis propinquam? Illa enim quodammo-  
 do augetur affluxus (sed non ita, ut ab evaucuatione topica ideo abstinen-  
 dum sit, ut supra iam probau). Accedit vis modica a tergo, & resisten-  
 tia in venis imminuitur, hinc facilis discussio. Hac vero imminuitur afflu-  
 xus, omnis sanguinis columna adhaeret; haec magna est, quod loco re-  
 moto venaesectionem institui posuimus, sit affluxus ad partes remotas, in  
 his itaque repletio, in oppositis hoc est in affectis partibus spasimi, hinc  
 vera reuulsio. Mittamus vero haec magis obscura; satis mili fecisse vi-  
 debos;

debore, dummodo appareat id, quod volunt, theoriam congestionis veram  
vario respectu cum impetranda eius medela magnam altere affinitatem.

§. XIII.

Causas sanandas Congestionis sequentes habebis & saepe simul  
animaduertendum erit ad plures. Sunt nempe: causae mechanicae irri-  
tantes; comprimentes &c. humorum abundantia & phlogistica indeoles;  
spasmi; debilitas; obstrucio; sordes; acrimoniae.

§. XIV.

Paulo exactius nunc de Congestionibus ad Caput sermonem habebo,  
quippe quae certissime vberiorem investigationem prae caeteris meren-  
tur. (Vide supra). Multos morbos felicissime sanabit, qui mox &  
bene occurrere didicit iis molestiis, quae communij insigniuntur nomine  
Congestionum ad Caput. Has vero molestias non speciatim recensebo,  
quippe quae quamvis multae & graves sint, neminem tamen fugiunt.  
Ere autem erit, vt omnes cruere studeamus casus, qui circa causas  
therapeuticas vere differunt.

I. Iuuenes multos de his quaerentes molestiis audiui, admissa propte-  
rea sunt varia medicamina, nec sine noxa. Sani iuuenes abundant  
humoribus, sed fere secundum naturam. Ferre debent secundum  
naturam paulo maiorem humorum quantitatem & euitare modo stu-  
deant causas, quae nimis commotere solent sanguinem. Ab his  
vero causis non facile abstinent, hinc illae molestiae, hinc qua-

guunt

runt auxilium. Ita verbi gratia venaectionem instituant, hominem ex una parte expellunt, ab altera admittant, quod v. g. vires potum forte amant. Alii sani calori externo sese exponunt, admittunt animi pathemata, cibos aromaticos, motum nimium, iam oruntur molestiae. Sunt casus similes. In his itaque evitandae sunt causae commouentes, ferant vero quae secundum naturam est, paulo maiorem humorum copiam, crescente aetate per se evanescentem; non vero statim ad medicamina configiant, neglecto ad ea, quae dixi, respectu.

2. Nonnunquam vera humorum abundantia accusanda est. Ast vero certissime multo rarius hoc contingit, quam vulgo statuere videntur. Hinc signa praecipua adiiciam, quibus hunc casum cognoscere poteris. Si discesseris a molestiis, quae congestiones ad Caput efficiunt, aeger ceteroquin sanissimus est. Respicias ad compaginem solidorum quae si firma est, oriatur suspicio hunc casum adesse. Non quaeritur de illis circa praecordia molestiis; temperamentum nec praeter naturam sensibile, nec irritabile; molestiae praeceps modo sentiuntur motu Corporis paulo vehementiori inslito. Certus eris si ad statum praegressum simul respexeris. Appetitus bonus, bona digestio, somnus reficiens sanus, quies animi, labores conuenientes (non vita otiosa, non quies muscularum ut quidam male enuntiant) haec omnia praegressa sunt. Habitus corporis bonus est, respiratio magna non valde impedita; pulsus fortis, tardus, saepe durus, aliis sicca, vrina saturata, sahguis, si forte e vena mittitur, phlogisticus. Hic itaque casus saepe praestit est, cum post mutilationem partis integrac, illae molestiae percipiuntur. Saepe inquam,

inquam, per se enim intelligitur fieri etiam posse, ut aliis morbis laboret, qui partis integræ mutilationem perpetratus est. Huc pertinent senes, qui nonnunquam obseruantur ceteroquin sanissimi, sola vasorum coarctatio in culpa est, hinc subinde vera humorum abundantia. Referas hoc homines, qui multos & graues labores corporis suscipiunt, qui sani, quibus partes solidae firmissimæ, quibus pulsus durus, plenus, & obstructio alui familiaris est, qui ueniam post potum mox mittunt & parum coloratum, qui de pondere artuum, ut unico symptomate quaeruntur. Idem euenire solet, cum haemorrhagiae naturales supprimuntur, non vero a cauſa, quam & cauſam Congestionum esse, numeris qui sequuntur, enuntiabimus. Dum haec enentur, vera humorum abundantia sananda est.

3. Sordes primarum viarum eas molestias cauſari solent & veram simulant humorum abundantiam. Error facilissimus in Praxi aut mūto potius frequens; effectus huius erroris certe graues. Meminisse iuuabit practicæ illius regulæ: Sanguis est donator bilis. Signa vero haec sunt: lingua impura, flava, impuritatibus obducta: sapor amarus, cephalalgia in primisque dolores circa frontem, vertigo, appetitus defectus immo nausea; sensatio ingrata in regione scrobiculi cordis: pulsus saepe durus, plenus, foetor oris, appetentia ciborum acidorum, proclinitas ad iram. Respicias ad prægressa. Regimen vitae ita manifesto comparatum fuit; ut sordes inde natales petere potuerint. Non facile errabis cum omnia haec symptomata, vel plura apparent. Saepe vero accidit, ut minus manifesto appearant, ubi error facilior. Latent saepe sordes. Constitutionem epidemicam biliosam haud negligas,

gigas, vt perfecta tibi sit morborum cognitio. Quae sananda sunt  
in hoc casu per se patet: fordes.

4. Spasmi quandoque molestiae ansam praebent illis de quibus sermo-  
nem habemus. Vexant praecipue viscera abdominalia. Hinc spa-  
tium, quod in statu naturali sanguini circulum subeunti pateat  
necessus est, immittitur. Humores itaque sursum turgent ad par-  
tem qui vasis sanguiferis abundat, & secundum naturam debilior  
est. Diagnosis non omnino difficultis est. Absunt nempe signa,  
quae in numero tertio laudauimus, & nihilominus tamen sentiun-  
tur molestiae circa praecordia. Inprimis vero saepius obseruabis  
dolores sic dictos prementes, tensuos, subitaneos, mox recurrentes,  
saepes horrores, anxietatem praecordiorum, colicam spasmodicam,  
alium inconstanter. Caussae praegressae spasmis fauent. Non  
negauerim supra laudatas Congestionum caussas, vt & eas, quas  
postea dicim, ita subinde agere, vt & spasmos excitando, Con-  
gestionem efficiant, aut certe eius molestias adaugeant. Sunt vero  
casus, vbi ad spasmos hosce sanandos tanquam ad caussam respic-  
tiendum est, quae primum sananda venit. Hinc numerum quar-  
tum constitui. Sanabis vero vel medicaminibus antispasmodicis,  
vel quod suadeo, caussas remotiores tollere studebis, quibus spa-  
smi debentur. Huc vero frequentissime pertinent acrimoniac & to-  
pica debilitas. Cum vero tempus non concedit, vt remoteas  
caussas remotiores, occurrentum esse antispasmodicis per se intelli-  
gitur.

## §. XV.

5. Obstruuntur subinde viscera abdominalia hinc sequi solent eadem molestiae. Casus non rarus simulans etiam veram humorum abundantiam. Qui his afficiuntur molestiis, saepe queruntur de ventriculi debilitate, vexantur flatulentia, alii excretio non constans, mox dura, mox nimis fluida excrements, urina saepe cruda & aquosa, post prandium & coenam de dolore & praecipue de sensu ponderis in regione epigastrica, querelas excitant. Lingua alba argentea, praecipue matutino tempore; obseruatur addephagia, dolores periodici in regione hypochondriaca, habitus cachecticus, praesertim tumida facies oculorum, subita quandoque partium superiorum incalcentia, rubor genae alterutrius. Mens denique saepe turbatur, imprimitur mores alienos ab iis percipiunt, qui familiares quandam fuerer. Notandum est, cum haec caussae Congestionum ad Caput praestet sunt, varias caussas in hoc nempe illoue casu esse sanandas. Referes vero hoc potissimum abdominis plethoram partiale, bilem latentem inspissatam (post morbos biliosos) mucum vasa abdominalia obstruentem, motum Corporis neglectum & sic porro. Differt medela pro varietate caussarum, quas laudauit; hinc posui.

6. Prostratae vires nervorum ansam praebent iisdem molestiis. Dicuntur vix potest, quoties haec caussa sananda sit, cum vexantur homines congestionibus ad Caput. Valet vero hoc nostris praecipue temporibus, ubi tot & tanta in vitae regimine admittuntur vitia, quae vires nervorum prosterne hinc sensitatem, irritabilitatem depravant.

depravare solent. Si vlla species Congestionum ad Caput quam  
 posui Polychymiam simulat certe haec est. Hinc saepissime er-  
 rant in medendo, neque impune. Castis itaque adiiciam praeci-  
 puos vbi ad hanc causam respicere maxime necessarium est  
 additis dein signis magis propriis. Iuvenes, quibus tempe-  
 ramentum adscribitur maxime sanguineum, qui itaque speciem  
 prae se ferunt facillime fallentem, ac si vere humoribus  
 abundarent, ii non raro debilitate neruorum laborant. Quibus  
 vena ex mera consuetudine nulla necessitate urgente saepius secuta fuit  
 & denique, qui ex vlla manifesta causa neruorum sistema debilita-  
 runt, hi omnes ad nostrum Casum pertinent. Habitus Corporis  
 saepe floridus est, sed laxitate, teneritudine partium manifesto labo-  
 rant, somnus longus esse solet, appetitus bonus, temperamentum  
 sic dictum sanguinem. Vitae regimen praegressum necessario con-  
 siderandum venit medio; inueniet causas, quibus adscribere poterit  
 neruorum vim fractam. Ita verbi gratia, potus spirituosos, omnes  
 ita damnados calidos ingurgitarunt avide, studiis diuturnis indulgue-  
 runt, ita & quam saepissime Veneri, quae quidem ultima causa  
 nisi in censum veniat, medicus in dignoscendis Congestionum cau-  
 sis facilissime errabit. Accedunt quandoque haec signa: oriuntur fa-  
 cile phlogosae partium superiorum, & quidem, quod bene notan-  
 dom, cum animi pathemata, immo leuiora admittuntur. Quae-  
 ritur aeger de molesto Orgasmo humorum & omnes molestias ro-  
 borantia volatilia ad tempus lenire valent. Vis neruorum resti-  
 tuenda est, sed absint quaeso, quae vlo modo debilitant, remedia alia  
 quacunque. Bono, multo sanguine opus est, vt desperita resti-  
 tuatur

tuator egregia vis neruorum. Tantus certe est valor in hoc casu  
guttulae boni sanguinis, quantus vix Vnciae Corticis Peruvianis.

§. XVI.

Adiunguntur Congestiones ad Caput aliis saepe morbis multo magis  
compositis; aeger itaque nec de solis Congestionibus ad Caput quaeritur,  
fanandi igitur sunt morbi, quorum symptomata Congestiones sunt. Saepe  
etiam plures ex caussis laudatis Congestionum simul praesto sunt, quo ita-  
que in casa omnes sanandas esse per se facile intelligitur.



Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle  
002 169 606

3



56



B.I.G.



17  
1184 36

16.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**THEORIA CONGESTIONVM**  
QVATENVS  
**PRAXI INSERVIT**

QVAM  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTTATIS MEDICAE

IN  
REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**IO. FRID. GOTTLIEB. GOLDHAGEN**

MED. PHILOS. ET HIST. NATVR. PROFESS. PVBL. ORD.  
CIRCVL. SALICI COMIT. MANSFELD. ET CIVIT. HALENS.  
PHYSICO  
PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
SOLEMNITER CONSEQUENDO  
AD DIEM XI. SEPTEMBER. CLOCCCLXXXIV.  
H. L. Q. S.

PUBLICE DISSERET AVCTOR  
**AROLVS AVGUSTVS IVNKER**  
HALENSIS.

HALAE SALICAE,  
LITTERIS TRAMPIANIS.